

• communis Venetiarum aut eis faventium militare aut eorum sti-
• pendia capere, seu ad stipendia hujusmodi vel alias cum eis se
• vel suos armigeros ac sequaces locare, eisque aliquod auxilium,
• consilium vel favorem quomodocumque praestare audeant. Quin-
• immo si qui cum eisdem ad praesens militant, quoniam in omni
• obligatione excepta semper intelligatur reverentia et obedientia
• Romani pontificis, non obstante quacumque obligationis formula,
• qua obligati forent, quae quatenus contra Romanam ecclesiam
• militare promisissent, non astringat eosdem, cum nullius sit ro-
• boris vel momenti, infra vigintiquatuor dies a publicatione prae-
• sentium computandos, ab ipsis duce, consilio et communi Vene-
• tiarum eorumque obsequiis et stipendiis omnino recedant. Et in
• omnes et singulos ex eis, qui contra mandatum hujusmodi facere
• vel venire tentaverint quoquo modo per se vel alios, directe vel
• indirecte, similis excommunicationis, anathematis, maledictionis
• et privationis ac inhabilitationis, nec non in terras, dominia et
• loca eorum, si quae tunc eos habere et obtinere contigerit, in-
• terdicti et in eos eorumque descendentes privationis dignitatum,
• dominiorum, feudorum et bonorum ac privilegiorum, gratiarum
• et beneficiorum ecclesiasticorum ac inhabilitationis dominiorum
• et bonorum confiscationis, sententias, censuras et poenas prae-
• dictas ex nunc prout ex tunc promulgamus, eosque illas incur-
• rere volumus eo ipso: quae similiter per alium quam Roma-
• num pontificem praeterquam in mortis articulo, ut de aliis su-
• perius est expressum, nequeant submoveri. Inhibemus etiam
• quibuscumque temporale dominium obtinentibus etiam regali,
• ducali, principatus, marchionatus, comitatus et baroniae vel alia
• dignitate fulgentibus, sub similibus censuris et poenis per eos si
• contrafecerint eo ipso incurrendis, ne cum eisdem duce, consilio
• et commune Venetiarum directe vel indirecte ad impediendam
• recuperationem civitatem, terrarum et locorum nostrorum, vel
• ad defensionem seu auxilium eorundem se nobis vel pro eadem
• romana ecclesia agentibus aut munitionem belli opponant in